



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

128. An extra casus praedictos in praeterita Resolutione, si non licitè,
saltem valide excommunicatus recipiat Sacramenta? Et quid saltem de
Sacramento Poenitentiae? Et an ipso iure poenam incurrant, qui ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. CXXV.

Dubius utrum excommunicationem contraxerit, an censendus sit excommunicatus?

Et idem dicendum est in dubio de suspensione, & interdicto.

Et dubius de alterius excommunicatione, & denunciatione; an debeat illum vitare?

Et quid dicendum est, quando excommunicatio est conditionalis, & dubium est, an conditio fuerit impleta? Ex part. 4. tract. 3. Refol. 35.

§. 1. IN dubio facti censendum esse excommunicatum, scilicet in dubio juris, censet Molina de just. tom. 4. tract. 3. disp. 67. n. 7. Azorius tom. 1. lib. 2. cap. 19. quæst. 10. & 11. & Sayrus in clavi regia lib. 1. cap. 13. n. 23. & 24. vide etiam Turrianum de censur. lib. 8. disp. 57. dub. 4. circa finem, & Valquez in 1. 2. disp. 66. cap. 1. hæc opinio est probabilis.

2. Sed non minus probabilem contrariam esse existimo. Dico igitur nec in dubio facti, nec in dubio juris aliquem censendum esse excommunicatum, & ita ego in facti contingentia consuli non fuisse excommunicatum quemdam virum notabilem, qui dubitabat etiam post factam diligentiam, an percussisset Clericum; & ratio est, quia in dubio melior est conditio possidentis. Cum ergo unusquisque possideat jus communicandi cum fidelibus, non debet in dubio ea possessione privari, unde hanc sententiam docet Sanchez in summa tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 55. Layman libro 2. tractatu 5. capite 5. §. 4. numero 38. & alij.

3. Notandum est etiam hinc cum Filliucio tom. 1. tract. 13. cap. 7. num. 129. quod dubitans de alterius excommunicatione & denunciatione, non debet illum vitare, quia faceret illi injuriam, cum in dubio melior sit conditio possidentis; ergo non debet privare illum communione in re dubia, sed quando dubium esset de validitate actus, ut si quis confiteri vellet ei, quem dubitat esse denunciatum, tunc abstinendum esset, ne se exponeret periculo faciendi Sacramentum irritum, modò absque scandalo, vel alio periculo fieri posset; sed de hac questione alibi actum est à nobis fusiùs.

4. Quod autem dictum est suprà de excommunicatione dubia, idem dicendum est de suspensione, & interdicto dubiis, quia eadem ratio militat. Ita Sanchez loco citato num. 62.

5. Et nota etiam, quòd quando excommunicatio est conditionalis, & dubium est an conditio fuerit impleta, ea non ligat, quandiu non constat de impletionem conditionis. Ita Emanuel. de Moura opusc. 2. de censur. & incantat. sect. 1. cap. 5. n. 8. qui etiam n. 9. cum Suarez, & Garfia docet titulare obligatum ad pensionem solvendam in certo termino sub excommunicatione in forma Camere non illam incurtere adveniente termino, prius quam pensionarius declararet, etiam authenticè suam voluntatem esse, ut ipse incurrat: proindeque quandiu de ea dubitatur (dubitari autem justè posse quamdiu eam non declararet authenticè) excommunicatio non operatur.

RESOL. CXXVI.

Dubius an censuram incurrerit, quid facere debeat?

Et quid in simili de irregularitate. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 44.

§. 1. Dico primò semper esse consultissimum sub conditione absolutionem procurare, ac interim se gerere ut excommunicatum, quantum fieri sine infamia & scandalo potest. Secundò à communione abstinendum, si inde sequatur scandalum, quod quidem communiter sequetur, si communis sit persuasio, aut rumor, de excommunicatione contracta. An autem, & quando secluso scandalo teneatur aliquis in dubio se gerere ut excommunicatum, vel non, haud satis liquet. Illud tamen probabile est, quod in simili de irregularitate cum Covarr. in Clemens. si furiosus, p. 1. §. 1. num. 3. docet Valent. disput. 7. quæst. 19. punct. 2. si dubium sit de jure, tunc nec in foro externo contrahi excommunicationem propter regulam juris, Odiā restringenda, & favores ampliandi, ex qua colligitur nullam poenam incurri, nisi in casibus à jure expressis. Si autem sit dubium facti, tunc in utroque foro se gerere debere ut excommunicatum, ut colligitur ex cap. ad audientiam, & c. significasti 2. & c. petio de homicidio, ubi tamen solum est sermo de irregularitate. Imò verius est nec in dubio quidem facti aliquem se gerere debere tanquam excommunicatum. Et ita docet Tannerus tom. 4. disp. 6. quæst. 10. dub. 4. num. 60. Sed circa præsentem questionem vide me ipsum in 4. part. tract. 3. * Refol. 35.

* Quæ hinc est Rel. antecedens.

RESOL. CXXVII.

An excommunicatus aliquando possit recipere Sacramenta sine peccato? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 81.

§. 1. Suppono non solum excommunicatum denunciatum, & publicum percussorem Clerici, sed etiam excommunicatum occultum & toleratum non posse licitè Sacramenta recipere. Hoc supposito ita respondeo ad questionem propositam affirmativè & primus casus est. Si ignoraretur invincibiliter ejusmodi prohibitio, cum enim positiva sit humanaque, potest cadere in eam ignorantia, quæ esset juris. Secundus si ignoraret se esse in excommunicatione, vel non adverteret, quæ esset ignorantia facti, ut frequentius potest accidere. Tertius si esset vrgens necessitas recipiendi Sacramenta ob vitandam gravem infamiam, sive scandalum, sive dampnum, ut periculum mortis, vel quid simile, & ita docet Præpositus in 3. part. quæst. 2. de excomm. dubi. 7. num. 39. Filliucius tom. 1. tract. 12. cap. 3. n. 56. Mercerus de Sacram. in 3. part. quæst. 21. dub. 4. & alij. Sed videamus.

Sup. hoc primo, & secundo casu contentis in hoc textu sup. in Ref. 35. & in aliis ejus not. 1. & 2. & pro tertio casu in to. 1. tr. 5. Ref. 35. Ex his, &c. & hic inf. lege doctrinâ Ref. seq. &c.

RESOL. CXXVIII.

An extra casus prædictos in præterita Resolutione, si non licitè, saltem validè excommunicatus recipiat Sacramenta?

Et quid saltem de Sacramento Pœnitentiæ?

Et an ipso jure poenam incurrant, qui excommunicatis vitandis Sacramentum ministrant? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 82.

§. 1. Respondeo affirmativè quoad alia Sacramenta, præter sacramentum Pœnitentiæ. Nam de hoc adest controversia, quibusdam asserentibus absolutionem sacramentalem impensam excommunicatio esse nullam, ita sentiunt plures, cum quibus sentit Vasquez dub. 4. de excomm. num. 9. quinimò idem tenet de eo, qui solum ligatur minori excommunicatione, quia cap. vlt. de Clerico excomm. ministrante, dicitur

Sup. hoc pro Sacramento Pœnitentiæ in tom. 1. tr. 4. lege doctrinâ Ref. 25. & 38. & ibi in tr. 5. Ref. 14 §. 5. Sed quid, & seq.

& in fin. ref. 27. & 34. & in to. 9. tr. 7. ref. 114. §. Sed difficultas: & ut melius hanc quæst. terminare possis in tom. 1. tr. 5. vide doctrinam ref. 32. & aliarum ejus notationum, & in tom. 9. tr. 7. ex ref. 23. inter principium, & medium à verisimo in tali casu, & aliarum ref. & §. 5. annot. 2. dictæ ref.

tur à participatione Sacramentorum remotus; sed alij probabilius censent posse subsistere Sacramentalem absolutionem impensam excommunicato, antequam absolvatur ab excommunicatione. Ita plures, quos citat & sequitur Suarez *disp. 10. sess. 7. num. 9. Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 17. punct. 2. §. Effectus autem Sacramentum*, Sayrus *tom. 1. lib. 2. cap. 2. num. 3.* quibus adde novissime Raynaudum *de monit. pari. 2. cap. 2. num. 18.*

2. Dico igitur primum quod si interveniat peccatum mortale in receptione poenitentiae, Sacramentum nullum est. Ratio, quia id est contra substantiam ejus, & reddit illud irritum ut suppono ex materia de confessione. Quare si excommunicatus sciens se non posse confiteri, nisi prius absolvatur ab excommunicatione, vel reticeat illam malitiose, & consequenter faciat confessionem non integram, vel exprimat illam, & velit nihilominus absolvi à peccatis ante absolutionem ab excommunicatione, quia in his omnibus casibus committit peccatum mortale in ipsa confessione, confessio erit nulla.

3. Dico secundo, si nullum interveniat peccatum mortale ex parte excommunicati, quia scilicet excusatur, vel ob ignorantiam, vel ob aliam necessitatem, ut potest aliquando contingere, tunc valida erit etiam poenitentia, & habebit effectum suum gratiae, & remissionem peccatorum. Et ratio est, quia per excommunicationem nihil tollitur quod sit de substantia Sacramenti, neque enim tollitur jurisdictionis aliorum in excommunicatum, nec ipse est incapax, cum censura tantum sit vinculum, quod habet ad junctum præceptum non recipiendi Sacramenta, consequenter tantum reddit receptionem iniquam, non autem invalidam; si ergo sit causa aliqua excusans à peccato, & à transgressione præcepti, erit valida & fructuosa receptio poenitentiae, neque contrarium potest vlllo jure probari, & ita docet præter Doctores citatos Præpositus in 3. part. quæst. 2. de excommunic. dub. 7. num. 40. Filliucius *tom. 1. tract. 12. cap. 3. num. 58. & 59.* Mercerus *de Sacrament. in 3. p. quæst. 21. dub. 4. num. 2.*

4. Sed quis hic quærat, an ipso jure poenam incurrant qui excommunicatis vitandis Sacramenta ministrant? Respondeo aliam non incurtere, quam quæ generatim lata est propter communicationem cum excommunicatis in Sacris, quæ est excommunicatio minor, & interdictum ab ingressu Ecclesiae, *cap. Episcoporum de privilegiis in 6.* Addit tamen Pontifex *cap. significavit, de sententia excommunicationis*, cum qui participaverit ab ipso excommunicato, incurere eandem excommunicationem. Sed ut hæc poena incuratur, requiruntur multæ conditiones, scilicet ut excommunicatio sit Papalis. Secundò ut participatio fiat recipiendo excommunicatum in Officiis. Tertiò ut participans sit Clericus. Quartò ut scienter & sponte id faciat de quibus glossa ad *cap. statuitur, de sententia excommunicationis in 6.* & Cajetan. in *sum. verb. excomm. cap. 58.* ubi & ampliorem restrictionem adjungit juxta Extravag. *Ad vitanda*, scilicet ut excommunicatus non sit toleratus, ne nimium rigorem hæc constitutio Papalis contineat, vide Mercerium & Filliucium ubi supra.

RESOL. CXXIX.

An excommunicatus non audiendo Missam peccet contra Ecclesiam præceptum, si sit negligens in obtinenda absolutione excommunicationis?

Et an excommunicatus qui per annum non audierit Missam in diebus festis, si postea obtenta absolutione excommunicationis constituitur, teneatur se accusare, quod

peccaverit toties contra præceptum audiendi Missam? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Refol. 57.

§. 1. Affirmativam sententiam mordicus docet Didacus Nagnus ex Illustrissima Religione D. Dominici in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 6. post dub. 2. qui ait quod omnis, qui tenetur ad aliquem finem, tenetur ad præceptum ad media per se ordinata ad illum; sed tollere impedimentum in casu nostro per se moraliter ordinatur ad audiendum Missam; ergo quando modò habet præceptum audiendi Missam, consequenter habet præceptum procurandi absolutionem excommunicationis. Patet minor, excommunicatio directè & per se moraliter est impedimentum audiendi Missam, siquidem hoc ipsum habet ex intentione præcepti Ecclesiae; ergo tollere illam, per se loquendo ordinatur ad implendum præceptum audiendi Missam.

2. Deinde confirmatur, quia si quis sit excommunicatus in Pascha, & non velit procurare absolutionem, cum tamen possit, peccat contra præceptum confessionis, & contra præceptum communionis; ergo idem dicendum est in nostro casu. Hæc Nagnus, contra Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 88. sess. 6.

3. Verum ego his non obstantibus, sententiam Suarez tenendam esse puto, quam docet & tuetur Coninch *de Sacramentis disp. 14. dub. 7. n. 56.* Avila & Molina *de censuris part. 2. cap. 6. disp. 4. dub. 7.* Sayrus *de cens. lib. 2. cap. 3. num. 24.* Navarrus *in manuali cap. 121. num. 3.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. num. 2.* & novissime Gaspar Hurtado *tract. de excommunicatione, disp. 5. ch. 1. difficult. 2. n. 4.* ubi sic ait: Excusatur excommunicatus ab audiendo Missam; quamvis negligens sit in obtinenda dispensatione, quia observatio præcepti audiendi Missam, non est tanti momenti, ut obliget ad tam remotam dispensationem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Missam; sicut etiam incarcerationis ob debita excusatur ab audiendo Missam, quamvis possit solvere, & non solvendo peccet contra iustitiam; non tamen excusatur excommunicatus à præcepto confessionis, & communionis annuæ, quando facile potest absolutionem obtinere, quia observatio horum præceptorum est magni momenti. Ita Hurtado. Vnde patet responso ad argumenta superius adducta à Nugno, quod si excommunicatus, v. g. per annum non audierit Missam in diebus festis, si postea obtenta absolutione constituitur, non teneatur se accusare, quod peccaverit toties contra præceptum audiendi Missam, quia negligens fuit in obtinenda absolutione.

RESOL. CXXX.

An si excommunicatus negligens sit in procuranda absolutione excommunicationis peccet contra Ecclesiam præceptum de audienda Missa, annua confessione, & communione? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 88.

§. 1. Respondeo primum non peccare contra præceptum audiendi Missam, quia quamdiu in excommunicatione est, Missam audire non debet, sed neque ratione præcepti obligatus videtur, ut se disponat, & impedimentum tollat, cum ea dispositio valde remota sit; quemadmodum nec is, qui sua culpa in vinculis detinetur contra præceptum de Missa audienda festo die delinquit. Respondeo secundò excommunicatum voluntariè in excommunicatione persistentem peccare contra præcepta, etiam quatenus Ecclesiastica sunt, suscipiendi sacramenta Poenitentiae, & Eucharistiae. Et ratio est, quia ista præcepta obligant ad mundandam animam, & consequenter ad tollendam vincula tum mortalium peccatorum etiam excommuni-